

\*(9)\*

poribus fuit sanctum. 2. *Loco.* Nam pactum vetus in monte Sinai cœpit , sed Novum de Monte Sion exiit. 3. *Effectu.* Nam Vetus pactum literam occidentem continet, sed Novum est Spiritus vivificans. 4. *Mediatore.* Nam veteris pacti Mediator erat Moses, sed in N. T. testator est Christus. 5. *Promissionibus.* Nam in Vet. pacto non æterna tantum , sed & temporaria felicitas veluti corollarium æternæ beatitudinis piis erat promissa , qualis Promissio in novo non est. 6. *Materia scriptionum.* Nam Vetus pactum in tabulis lapideis vel faxeis, sed Novum in cordibus fidelium est scriptum. 7. *Duratione.* Nam Vetus pactum dudum desiit, excepta Lege Morali, sed Novum est sempiternum , unde Christus æterni pacti Mediator dicitur. 8. denique *Dedicatione.* Nam Vetus pactum mactatis XII. vitulis, sed novum ipsius Dei filii , pretioso sanguine fuit sanctum , ubi digna observatu est nota Maldonati acer- rimi alias Jesuitæ , qui super verba Instit. ita commentatur : Solenne erat gentibus foedera cæsis victimis inire, imo interdum venas diffindere , sanguinem inde elicere, eumque vino mixtum sibi invicem propinare solebant. Eundem morem observavit Christus cum N. Pactum conderet. Nam in Eucharistia suum ipsius sanguinem vino benedicto quasi mixtum in confirmationem N. pacti Apostolis suis & per hos toti Ecclesiæ propinavit, imo in hunc usque diem propinat. Nihilominus pactum illud vetus <sup>Pactum</sup> præsertim Mosaicum est elegans typus pacti Novi. Nam <sup>Vetus ele-</sup> *Mosaicum* in Mosaico pacto Moses Christum, populus Judaicus Eccle- <sup>gans Ty-</sup> siam , & sanguis vitulorum super populum sparsus sanguinem Christi, repræsentavit. Atq; hinc est quod Salvator cum <sup>pactus Novi,</sup> N. T. conderet , eandem formulam adhibuit, quia Moses pactum vetus sancivit nimirum hanc: Hic calix N. pactum est: h. e. N. pacti confirmatorius. Sit de pactis.

B

ABRECH